



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De modo co[n]uersandi in ecclesiis seculariu[m]. Cap. XXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

laici non intelligant nisi sonum. Et præter hæc religiosum non decet in cantu extraordinariè vocem efferre. Si qui fortè dissolutiones aut clamorosas disputationes, verborum altercationes vel alia, quæ offensionis materiam extraneis dare possunt, vitare inter homines negligunt, nequaquam eos timoratos dixerim, aut zelum religionis habere. Qui religionis suæ scandalo non occurrit, honori proprio detrahit & saluti. Qui fidelis religionis est filius, nequaquam eius scandalum parui ducit.

De modo cōuersandi in ecclesiis seculariis.

CAP. XXIX.

PERVENIENTES ad religiosorum vel secularium loca, cum ad Ecclesiam si in loco fuerit veniunt, in ingressu Ecclesiæ illum secum versiculum memorantes, Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo: Et nudato capite signum crucis super se cum reuerentia facientes, ante altare vel in alio loco orationi congruo, ad quæ declinauerit senior, prosternere se humiliter debet. Vbi quatum Deus dederit deuotè orantes, pariter ab oratione surgentes, procedere poterunt ad ea, quæ necesse habuerint iuxta propositum exequenda. Ecclesiam namque, sicut Evangelici & Ecclesiastici viri, semper prius si commodè possimus visitare debemus: sanctorum Patrum qui nos in ordine præcesserunt, imò ipsius Saluatoris exemplo; quem beatus Euangelista Matthæus, Hierusalem ciuitatem ingressum, refert templum Domini adiisse. Super quem locum dicit Expositor, quod ingressus urbem primò templum adiit, dās formam religionis: vt quoquo imus, primùm domum orationis, si ibi est, adeamus.] Missarū etiam

Psal. 5, 6

*Ecclesia
omnium
primò
adeunda,*

*Matt. 21, 12
Ioan. 2, 14*

*Glossa ordinariis
Mat.*

solēniis vel aliàs diuino officio cum extraneis
 assistentes, gerant se humiliter & honestè. Non
 stent in sedibus suis velut magnates, aut quasi
 laici lassi, de officio non curantes: sed ad librum
 si necesse fuerit honestè poterunt accedere: of-
 ficiantes, cum maturitate tamen ac modestia
 tā in voce quàm in gestibus obseruata, humi-
 liter iuent. Quòd si propter euitandū discursu-
 sum ad librū non duxerint accedendū, nihilo-
 minus tamē communia quę nouerint poterūt
 cum aliis honestè sine nimia vocis exaltatione
 cantare. Ad cantandum autem aliquid seque-
 stratum, sicut est alleluia, responsorium, vel
 aliud quodlibet, nequaquam cum secularibus
 se conbinent, si vitare poterunt bono modo.
 Tunc etiam nō solū in prædictis, verū etiam
 in honesto se habēdi modo, quantū ad discipli-
 nā aspiciēdi, loquēdi, habitus & vniformitatis
 honestatisque custodia est habenda. Repre-
 hensibile est ibi vagis circumspicere oculis, aut
 colloctionibus dum Missæ officium celebra-
 tur intēdere: quod tunc etiam secularibus
 clericis ius Canonicum interdicit: aut per ali-
 quam rem, habitus secularitatem prætere-
 re. Vnde ibi non decet capitium inter homines
 extrahi, nisi ad Euāgelium, vel ad alia pro qui-
 bus ex approbata consuetudine communiter
 fieri consuevit. Denique propter vniformita-
 tem, dum intersunt officio solliciti sint circa
 duo. Vnum est nē diuersitate sua in his quę ab
 honestate non discrepant, alios scandalizent:
 vt videlicet ad Magnificat in vesperis, ad Qui-
 cunque vult, in Prima, vel ad alia huiusmodi,
 ceteris cum reuerentia stantibus, ipsi non se-
 deāt, licet illud officiū tūc ipsi nō dicant. Aliud
 est, vt in stando, sedendo, & se prosternendo
 sint inuicem vniformes, vt pariter stent, se-
 deant & se prosternant. Qui cor vnum & ani-
 mam

nam vnā debent habere, difformes exterius non debent esse. Vniformitas morum, vniformitatem iuuat & indicat animorum. Senioris consuetudini debet se socius humiliter conformare. Religiosorum morem cum eis officiantes seruamus, cum aliis inclinationum ritus ignaris, festiuo tempore ad omnes collectas vultu ad altare verso cum reuerentia stantes: ad B. virginis & sanctorum duntaxat, qui speciali ex more veneratione coluntur nomina, inclinamus. In feria verò simus ad omnes orationes prostrati. Ad præfationem semper, & quando dicitur Agnus Dei, moris est stare. Veruntamen si quando apud extraneos duxerint celebrandum, modum ordinis sui in celebrando vniformitatis occasione non variant; nec ipsum dimittant, nisi aliter facere cogat necessitas: ne velut instabiles & modum proprium non habentes, cum variis Ecclesiarum consuetudinibus temerariè variantur. Possunt tamen in benedictionibus post Missam, iuxta morem patriæ faciendis, & in omnibus huiusmodi quæ modo non præiudicant regulari, Ecclesiarum in quibus fuerint, consuetudines obseruare.

Seniori se
conformes
iunioris

De disciplina in hospitio seruanda.

CAP. XXX.

IN hospitij domo cum fuerint, studeant se in omnibus gerere humiliter ac prudenter circa custodiam disciplinæ: humilitatem erga personas in conuersatione ostendant, personis maioribus humiliter deferant, personis humilioribus & pauperibus tanquam confratribus suis, socialiter & benignè loquantur. Conuersatio quoque signum aliquod superbiæ non prætendat. Nunquam ad prima se ingerant lo-